



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1679.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

ANNUS 1679.

IN Anglia gravissima persecutione concussa est res Catholica. Author fuit Titus Oates Calvinistarum ad Catholicos, & ab istis ad primæ hæresis sectatores transfuga, homo faver & perfidus, qui fictis litteris, & repetitis perjuriis prodictionis & conjuratio-
nis adversus Regem & regnum reos egit, præter præcipua ferè omnia orbis orthodo-
xi capita, sacerdotes & nobiles Catholicos in Anglia. Unde sub larva justitiæ decreto plebei Ordinis Parlamenti Catholicorum pluri-
morum ex regno exulare jussi, alii in carcères conjecti, & fame enecti; Religiosi etiam non pauci supplicio ultimo affecti, inter quos fuerunt octo sacerdotes ex Soc. Jesu, quibus furor impius odio fidei vitā abstulit.

Initio Februarii constituitur pax Neo-
magiensis inter Cæsarem & Imperium ex una, Galliæ item & Sueciæ coronas ex parte altera, vi cuius relictum Friburgum Gallo, Pomerania restituta Sueco.

Rebelles Ungari neglectis induciis rur-
sus ad arma & solitas direptiones convolant,
novis Teckelii suggestionibus, & Abaffy Transylvanorum Principis auxiliis eructi;
repressi tamen nonnihil tum à Lesleo Duce
copia-

copiarum Cæsaris, tum à lue pestifera quæ per ditiones Cæsaris hæreditarias, aliasque nonnullas provincias Germaniæ crudeliter hoc anno grassata fuit.

Pax Hispano-Gallica confirmatur per connubium Regis Catholici cum Maria Alloysia Philippi Aurelianensium Ducis Filia, quæ ingenti pompa & magnificentia ex Gallia in Hispaniam deducta fuit. Ibidem facto decepsit Joannes Austriacus non sine suspicione veneni, quod illi propinatum nonnulli crediderunt ab invidia quorundam Magnatum, quorum oculos livore forte suffudit nimia Joannis authoritas.

ANNVS 1680.

Sub initium hujus anni Augustæ Vindelicorum piè fatis decepsit Joannes Fridericus Dux Hañoveranus familiæ Brunswico-Luneburgensis, contra gentis institutū religioni Catholicæ addictus.

In grassantes iterum more suo rapinis, cædibus, & incendiis rebelles Hungaros, vario Marte & armorum eventu pugnatum à Comite Caprara Duce Cæsarearum Copierum.

Delphino Galliarum nubit Maria Anna Christina Bavara pridie nonas Martii in